

12.

VIRO PERILLVSTRI
PERQVAM MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
MARTINO EELKING


ICTO EMINENTISSIMO
REIPUBLICAE PATRIAE VLTRA ANNOS XXXIII.
SENATORI
MODO SENIORI MERITISSIMO
REI MILITARIS CVRATORI SPLENDIDISSIMO

RELIQVA
IAM AD CONSVLATVM CUNCTIS
PATRVM CONSCRIPTORVM
SVFFRAGIIS EVECTO

SVPREMVM HOC DIGNITATIS FASTIGIVM
D. XVII. OCTOBR. 1731.
SOLEMNI RITV OCCVPATVM
QVO PAR EST DEVOTISSIMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE

CVLTV GRATVLABATVR
CHRISTIANVS NICOLAVS ROLLER

V. D. M.
ET PHILOSOPHIAE IN ILLVSTRI SCHOLA BREMENSII PROFESSOR, NEC NON
ROTTERODAM. LITTERAR. SOCIET. CVIVS INSIGNE EST
PRODESSE CANENDO
MEMBRVM HONORARIVM.



BREMAE,
TYPIS DIDERICI MEIER, TYPOGRAPH. GYMNASII ILLVSTRIS.



Quae modo ferales ducebas pectore lessus,
BREMA, ministerio CONSVLIS orba Tui,
MAGNIFICI GROENING, inopina morte perenti,
Quique decus PATRIAE, CIVIS amorque fuit;
Iam vultus, animi posito moerore, serenas,
Et capis auspiciis gaudia digna novis.
CONSVL enim legitur, quo non praestantior alter,
Nec poterit vacuo dignior esse loco:
Vir bonus eligitur, damnum sarcire peritus,
Nobilis ingenii dexteritate sui:
Scilicet arte potens EELKING, Atlantis adempti
Herculeis humeris iam subiturus onus.
Qualiter emergens rutilus post nubila Phoebus
Purum discussis aëra reddit aquis:
Taliter et PATRIAE nebulis feret ILLE fugatis,
Ceu nova lux, hilares et sine nube dies.

Ergo rumpe moras, VRBIS cape dexter habenas,
Et rege follerti sceptrā verenda manu:
CVRIA TE CIVESQUE rogant; Tua iussa capeffit
Applaudens meritis femina virque Tuis.
TE PROCERVVM celebrat speciosa laude CORONA;
Quamque SCHOLARCHA reges, patria Musa canit.
TE Caput appellat Populus, Patriaeque Parentem,
Astraeae columen, praesidiumque suum.
Suspicit omnis agri simplex Tua iussa colonus,
Proque Patris Patriae vota salute facit.
Quod licet ac par est, quod honestas suadet et usus,
Praecipit in primis fautor Apollo mihi,
Sorsque patrocinii, quo me dignare meosque,
Quos iuvat imperii scena superba Tui.
Nempe TIBI partos vt carmine grater honores;
Vtque canam sceptris fata secunda Tuis;
Vt CONSANGVINEIS, COLLEGIS atque PROPINQVIS,
Ciuibus egregiis pectore, classe, domo,
Cumque thori SOCIA, sexus generisque Corona,
FILIO, et Huic NATIS prospera quaeque precer:
ILLI praecipue, qui, PATRIS ad instar agendo,
Emicat in primis arte locoque Viris.
Sic patris exemplo Iouis ales cernere flammās
Solis, adhuc pullus, discit, et astra petit.
Macte Tuis igitur virtutibus atque triumphis;
Macte ornamentis, VIR GENEROSE, Tuis!
Viue! Tuamque nouis famam distende per orbem
Laudibus ac meritis officiisque piis.
Aurea longaeuae TIBI nectat stamina vitae
Parca; regat naues aura secunda Tuas!

Adspiciat vultu Patriam Fortuna sereno;
Floreat auspiciis BREMA beata Tuis!
Iura MAGISTRATVS valeant, legesque triumphant;
Sint salui PATRIAE, nomina chara, PATRES!
Libertatis honos, Commercia, Sacra, Camoenae
Constanter vigeant, nosque salute beent!
Rideat omnis ager, sit abundans frugis et herbae;
Sint procul aduectis horrea plena bonis!
Aurea sic Patriis orientur secula Terris,
BREMAque sublimi sidera fronte petet.
Participem tantae, CONSVL GENEROSE, salutis
Me fore, crediderim: si mihi porro faues;
Si, quod agis, doctas ornaueris Urbis Athenas,
Atque Scholam studiis foueris vsque Tuis.

